

ZITT.



9  
Ad solennem Actum,

quo,

1604  
**ORATIONE**

De Cautionibus ac modis, Principi alicui aut  
Reip. in ferenda ope alteri Statui vi iniqua  
presso adhibendis,

habita

*D. 20. Jan. in publica Actorum*

Panegyri,

Duce ac gratioso Auspice Deo,

Laborum sibi de hinc publicè incumbentium

ritu initium conveniente

*faciet,*

**MAGNIFICUM UNIVERSITATIS  
RECTOREM,**

reliquòsque Proceres ac Quirites

Literarios,

*quàm officiosè invitat*

**MARCUS RHODE, BREMENSIS,**

J. U. L. & Constitutus Professor P.



Frankofurti ad Viadrum.

Literis JOHANNIS ERNESTI, Acad. Typogr. 1671.

47

Ad solennem Actum

# ORATIONE

De Cautionibus ac modis Principi sibi aut  
Reip. in scienda operata statu vi impu-

ris adhibendis,

habita

D. 20. Jan. in publica Aedificia

Paragyn.

Duce ac gratiore Auspice Deo

Laborem sibi de hinc publice incumbendum

ritu iunctum conveniens

Actus

MAGNIFICUM UNIVERSITATIS

RECTOREM

reliquosque Proceres ac Quirites

Licetarios

quibus hinc hinc

MARCUS RHODE, BREMENSI

J. H. L. & Continuus Professor P.

-----

Francosini ad Vindob.

Mensis Januarii, Aed. Typogr. 1677

43



Enſi Senex infelici, tantum ipſi abs re propria ſu-  
peresse ocii, ut aliena curet, admiranti penes Co-  
micū, hoc reponit acroama: Homo ſum, humani à  
me nihil alienū puto. Cordatè quidem, & ingenui  
cujusque officio convenienter dictum agnoſci-  
mus cum Tullio: ſed minùs, ex genio vulgi! Cui non difficilis  
cura rerum ad eos duntaxat pertinentium, qui nullo alio com-  
mercio ac jure, quàm communi mortalium nomine devincti  
nobis ſunt? Lyricorum Principis, & cum eo ſermone tri-  
tum ſeculi verbum eſt:

Muſis amicus triftitiam & metus  
Tradam protervis in mare Creticum  
Portare ventis; quis ſub Arccto  
Rex gelidæ metuatur oræ;  
Quid Tiridatem terreat, unice  
Securus!

Remotiorum incendia parietum ſupinè mos eſt intu-  
eri, quin ſi nocturno erumpant tempore, petito lecto,  
& allecto vel pingvi ſomno transmittere, dum ſiant propria  
aut Ucalegonis proximi. Avocatur pars ab huma-  
nitatis munere debito non tam malitià, quàm mollitiè, ne-  
gligentià, pigritià, inertia. Pars immoderato diſcendi ſtudio  
& occupationibus quibusdam diſtricti rerum ſuarum nec ex-  
aſſe fatagunt. Quo nomine in Philoſophos, ut fuere antiqui-  
tus ſæpè comparati, Plato, præ literarum ardore ac agitatio-  
num mentis, Remp. contemnentes & pro nihillo ducentes ea,  
de quibus cœteri ferè quotidie inter ſe digladiantur. Invidià alii  
& odio quodam hominum tranſverſum acti, ſibi invigilatum  
iri ipſis, clamitant, ne cuiquam inferre videantur injuriam. Cum  
reliquo tamen univerſo id genus coetu injuſtitiaè haud eluunt  
maculam, quòd, licèt operam dent, afferendà ne cui no-  
ceant

)? ( 2

1607  
ceant injuriâ, deserant vitæ societatem, nihil in eam studii, nihil laborum, nihil facultatum collaturi. In vitione æquè sunt, qui alterius fâto ingravescenti indormiunt, nec obsistunt, cum possunt malo, ac qui patriam, parentes, liberos, amicos desertum eunt? Homo qui verè est, aut de meliore luto cui formata rectiùs præcordia, humani abs se nihil alienum putat, quin omni omnium statu ac lapsu commoveatur. Præclara ejus est sympathia, uti & æquabilitas incuncta vita, nec propria, tantùm: sed & aliena, ut de Socrate, item de Cajo Lælio, Viris excellentissimis traditum. In rebus prosperis & ad voluntatem fluentibus modestè unâ lætatur: iis vel ex improvise subnascentibus manum præbet, non ponit obicem, quod parùm abest à cœde. Dubiis, afflictis, ac desperatis ingemiscit; ingemiscit? Imò verò quasi venaticus, ejacularo per pyrium pulverem ferali plumbo, velox ad cursum, festinat, quantum potest, cohibitum deplorati ignis licentiam. Angoribus sese dat infinitis integritas, ac veretur maximè, ne serpat flamma latius, aut minimum afflictum miserumq; fratrem extremò ad restim agat. Enimverò, quò quisq; generosior, quò educatione, moribus, vitâ, literis cultior, eò ad succurrendum necessitati alienæ existit alacrior. Et hòc ipso Naturæ tacita expressa quæ divinæ Majestatis, ac prudentiæ Civilis mandata sequitur. Elementorùm ne mirificam inter se cernere conjunctionem est, & quasi ictum ab ætenitate foedus, ne alterum patiat alterum convelli, aut violentiâ quâdam externâ pristinâ sedè suâ turbari? An mirabimur herbarum, plantarum imbelliumque arborum tenacitarè ac quasi pertinaciam in defendendis propaginibus suis ab infestis hortulani manibus? Solo animalia sensu valentia docere exemplis suis possunt indociles, prodesse aliis, conjunctâque virium ac animorum potentiâ periclitantium adversitatibus, sese opponere. · Consignavère multa multi eminenti doctrina Authores, quæ legentem rapiunt mirè ac impellunt ferè in  
omenm

omnem motum. Nobis ob oculos versantur in communi pasta equi, eorumque mutua in pellendo lupo ( cui ex insidiis aliquem adoriri usus est ) adjectoria facile meminimus. Fit concursus extemplo, & ab interjectis longius intervallis, ut cum artificioso vate loquar, Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum. Ardent oculi, micant aures, crebris movetur terra ictibus, iramque & flammam quasi naribus ferociores caballi spirant, donec admotis calcibus insidiosi pecoris caput ad usque mortem dedolent. Hoc modo res brutæ cernuntur sibi conciliatæ: sed in promptu sunt alia, quæ urgent magis homines, & rationis & orationis beneficio sibi connexos, quo ipso maximè à natura ferarum absunt. Divini enim oris enunciatum vel intelligunt ac reverenter habent, qui nondum ære lavantur: Eo quo te ipsum amoris ardore, prosequaris oportet tuum proximum; quod nomen latisimè patet, & ad Samaritam imò tractum. Cuilibet norma illa, non propinquare saltem ac familiaritare aliqua juncto: sed ignoto, sed peregrino, sed infideli etiam necessaria salutis præsidia deberi abs re notat. Quis adeò ab omni sensu, ab omni timore ejus, qui universum hunc nutu mundum regit, alienus, ut qualemcunque obvium malè à malis multatum, quantum quidem in se est, violentiæ non eripiat? Bestiis animum gerat deteriore est necessum, cum hæ calamitate sui generis percellantur ad validè opitulandum: ille commiseratione flectatur nullâ. Durities ferri, si admoveatur, igni, liquefcit: at ejusce modi pectus quorumcunque alterius dolorum facibus adhibeatur, sævum est & insensile. Nihilò minùs sicut vobis fieri expetitis, Servator mundi inquit, præbeamini aliis. Cui accedunt plura clarissimorum Apostolorum albo jamdudum calculo signata, quibus ad sanctorum onera invicem portanda concitamur, uti calcaribus subditis.

)?( 5

subditis.

1009  
subditis. Ex iisdem verò & similibus veritatis necessariæ princi-  
piis, incredibile dictu est, quot aequè ferendo contentiones,  
& ex contentionibus prælia, & ex præliis clades & trophæa,  
fugas & victorias Regum ac Imperatorum Christianorum  
pietas habuerit paria. Nec temporis, nec chartæ hujus ra-  
tio catalogum nominum ac factorum exigit. Sed Rhenus ad-  
huc testabitur, testabitur Danubius latè per Græciam vagus,  
Euphatesq; Syriæ, Germanorum sæpe cruore rube factus, & po-  
steritas sera virtutè audiens obstupescet. Ægyptii, præstanti glo-  
riâ ingenii populus, qui invadi visos & nefariè à scelerato-  
rum audacia peti dereliquissent, severâ pænâ cöercure. Ro-  
manorū virtus ac solertia in præcipiendis Reip. futuris casibus,  
mitissimarumque legum maturo vinculo constituendis  
præsertim ac dirigendis prudens eluxit. Nec ergo in  
præscribendis salutari alterius cujusdam propugnandi, qui vi  
iniquâ pressus, officio regulis, defuit officio suo, & majoris  
fructum gloriæ tulit. Domino in servum sævienti suum cru-  
deliùs ferrum etiam è manibus jubemur excutere, ne cum de-  
trimenti aliquid res capiat publica, cui expedit, ne quis for-  
tunis suis malè utatur, tum humanitatis ratio videatur omnis  
exulare. Attentatæ non solùm propriæ, sed suorum quoque  
pudicitæ periculum vel cum periculo occisionis propulsandi  
licentia cuivis data. Quod singulorum privatis ac domesticis  
inculcatum studiis, ut omnium servatum religione foris, armis  
non semel ad manus captis, historiarum fides testis est.  
Pro Campanorum libertate in discrimen adducta facta  
tectaq; conservanda, quid non suscepit inclyta gens, terra-  
rum orbis Domina? Pro Numidis, Græcis, Ægyptiis, alio-  
rumque sexcentorum, sive socios eos sive vicinos malis, com-  
modis adversus oppressionem potentiorum tutandis quid non  
infuetâ animi constantiâ roboreque gessit? Liberales ubiq;  
præclarorum apparatus facti sumptus, superata flumina,  
trajecta



trajecta maria, discrimina vitæ ac famæ præsentissima parvi  
 habita, & præliatum cum Jugurtha, Philippo, Nabide, Anti-  
 ocho, hostibus superbissimis. Persuasum videbatur,  
 qui nobilitatus ipsius erat candor, populo Romano, virtutis  
 præstantiæq; omnis fructum tum demùm capi maximum, cum  
 maximè saluti ac adjumento esse aliis possent, eisq; plurimum  
 conferre. Scipio imò, cui Africani cognomen peperit gesta-  
 rum rerum Gloria, Rectoribus ac conservatoribus civitatum  
 promittit, fore, ut custodiâ corporis sui tanquam vinculis ac  
 nodis laxati, evoluturi sint in templum DEI. Eant nunc, qui  
 errore opinionis ducti, fas minus esse Principibus, & qui eo-  
 rum vice moderantur clavis publicis, implicari aliorum nego-  
 ciiis & justam propugnare causam vi, armis, com meatu, milite,  
 in auxilium missis. Eant, inquam, ad Anticyras, & helleboro  
 purgent caput. Officium integri & cujusque Viri boni, of-  
 ficiū pietatis & gentiū moribus consentaneum probarissimis,  
 in omnem omninò Principem, datur, cadere. Quod privato  
 incumbit gerendum mente ac manu suâ, hoc Principi mente  
 suâ ac manu suorum, vel armatâ, si aliàs solvi nequeat obla-  
 torum nodorum intricata difficultas. Ambabus, unum alte-  
 rumq; fratrem alterius injuriæ gravi expositum, pro virili  
 servandum, largire: & verò, multa millia, eodem quæ cala-  
 mitatis jure continentur, nec eripi nisi à potentia majore pos-  
 sunt, deserenda, sustines. Quâ mente, quæso? quâ fronte, so-  
 des? Tyranni non tantùm sunt, qui immeritos duræ jugo ser-  
 vitudinis submitunt; sed qui connivendo etiam & violentiam,  
 ubi facultates virèsq; suppetunt, minimè frangendo, quasi sce-  
 leri adduntur. Sedendo etiam contrahitur vitium, & ipsi  
 quandoque silentio sua insunt scandala, ac incommoda nun-  
 quam satis pœnitenda. Quanquam nec regibus mundi q; aliis  
 potestatibus eò quis ipso author esse debeat, ut omni repentino,  
 quasi vento, impetu animi incitati omnium sint, & cui-  
 cunque

cunque contra quemcunque licet maximè vexatum nervos suos commodent. Quàm prudenter, quàm circumspectè versandum privato homini in proximi sui defensione effectui danda, Hugonis, nomine omineq; Magni, ac Antonii Perezii commentaria doctissima tradunt. Quantò magis illud decuerit Principis intergræq; alicujus Reip solertiam, à quibus multitudo infinita unum quasi spiritum ducit & factorum suorum multiplicia decreta, judicare cuilibet in prodivi est. Ne quid avarè, nequid libidinose, nec quid intempestivè, uti omni in reliquo, sic negotio in primis tanti momenti videatur actum, summa cautio adhibenda. Induxi ego in animum, Magnifice Universitatis hujus Rector & vos Literarii Proceres ac Quirites requi, de modis illis ac rationum locis, quibus Regi Principi aut Reip. ad opitulandum alicui Statui oppresso quàm cautè accedendū, oratione solenni proximo Veneris hor. 10. mat. in publica Jctorū Panegyri dicere. Argumentū sat nobile visum, nec provinciae, recenti **OCTO VIRI BRANDENBURGICI**, Domini ac Nutricii nostri Clementissimi Gratiā mihi commissæ auspicio, nec attentione vestrà indignum. Agite itaque, Venerabiles Academiae Patres, & quotquot estis Literarii Quirites, actumque illum honorificā & præsentiā & frequentiam vestrà exornando, humani & à vobis alienum nihil esse, ostendere. Animabitis non solùm oraturum ad mox inde majora, meliora, ac uberiora quantum quidem vires ac opem cœleste Numen ministrabit, audendum: sed & devinctissimum vobis totum vitæ tempus reddetis. Bonis quod bene fit, oblivione nullā perit, cùm animoso fortique Viro grave sit, bene mero

rendo vinci. Dab. è Museo nostro Francofurti  
 cis Viadrum. XVIII. Calend. Febr.  
 M. DC. LXXI.



Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!


misc. 33 digitalisiert PLN:

314386882

SLUB DRESDEN



3 0602191

Coll. Diss. B 129

**BIBL.**